



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

III. Allegoria trium Satorum Farinæ, proposita à Christo Matth. 13.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

II.

DE TRINITATE.

Etsi erudita & pia est cogitatio quorundam patrum, qui apparitionem trium Virorū, factam Abrahæ, ad Articulum Trinitatis accommodant, tamen melius est, doctrinam de tribus Personis Divinitatis ex alijs illustrioribus testimonijs sumere. Nam hec Allegoriæ ad confirmandas mentes & Aduersarios conuincendos parum aut nihil ualent, etsi in docendo & illustrando grata sunt. Vt enim Abraham tres distinctas personas coram intuetur, & tamen in oratione sua singularem numerum usurpat, sic firmè statuendum est unam esse essentiam æterni Patris, FILII, & SPIRITVS SANCTI, distinctam tribus personis.

III.

ALLEGORIA TRIVM
Satorum.

Satum Mensuræ nomen est, continens 24. Serrarios, seu sex cantharos Rostochianos. Drey Stübchen.

Tria Sata efficiunt Mensuram Ephæ respondentem nostræ mensuræ, cui à Scapha nomen est.

Ebræi capacitatem ouorum mensuras distinguunt.

ita ut Satum contineat 144. oua. Ephi seu tria Sata complectantur 432. oua.

Tantum farinae albae triticeae miscet Sara, & coquit panes ἐϋκρυβιας seu subcimericios, qui inclusi testis & tecti cineribus inter carbones pinsebantur.

Videtur autem ex hac narratione à Christo sumpta esse imago Matth. 13. Simile est Regnum coelorum fermento, quod Mulier miscet tribus satis farinae ut tota massa fermentetur.

Fermentum inflans, rarefaciens & attenuans panem, significat doctrinam Euangelij, quae est panis uita, alens ueram Dei agnitionem, fidem, iusticiam, & uitam eternam, & inflans corda ueris motibus, uera dilectione Dei & similibus.

Tria Sata significant tres praecipuas partes Hominis, Mentem, Voluntatem, & Cor, quae commixta doctrina Euangelij renouantur, & noua agnitione & Dilectione Dei, ac uita aeterna donantur.

Fit autem haec renouatio, cum Fermentum commiscetur Satis, hoc est, cum doctrina Euangelij studiosè legitur, auditur, cogitatur, & in quotidiana inuocatione, in laboribus uocationis, in erumnis & doloribus ad usum transfertur.

De hac Allegoria extat elegantissima Oratio Philippi, de Tribus satis farinae in tertio Tomo Declarationum.

Z s REPE=